TECHE UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. **P_MSS_0744**

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Cronache

S. Daniele ×
Cargna ×
Dignano ×
Gemona ×
Pordenone ×
Cividale ×
Oderzo

N. 737 —
755 —

Julium Castrum, modo Civitas Austriæ, quam Natiso præmpto et confragoso alveo intersecat, supereminente ponte Italicarum pulcherrimo, ut Cicero in Vaticinium meminit, a Gente Julia Fori Julii nomen accepit (1.).

Merlinus ait, Aquilejam ad priscam aliquando magnitudinem mearandi Charintiæ Ducis cura instauratam iri, licet Sanctus Servus Aquilejensis Episcopus Ticinensis prædixerit excidium Aquilejæ nullo ævo instaurandæ, quod Servi vaticinium videmus, nemini autem futurum expectabimus.

Sisulphus primus Dux Forojuliensis, ab Albino Longobardorum Rege patruo suo constitutus, superatus et mortuus una cum Forojuliensibus compluribus apud Goritiam a Cacano Pannonum Rege; Romilda Sisulphi conjux propter explendum libidinis suæ fervorem, et filios filiasque et Oppidum Fori Julii tradidit hosti Cacano, spe futurarum nuptiarum.

Cacanus habito Forojulio pacta observavit, Romildam tamquam uxorem per unam noctem cognovit, postea eam primo omnibus militibus prostituendam tradidit, deinde in palum fixit, tali pœna condignam hujusmodi perditricem judicans.

Appa et Gayla adultæ virgines filiæ Romildæ nimiamque impudicitiam matris execrantes admirabili

admirabili sua pudicitia ne polluerentur a tot lascivientibus militibus crudos sub fascia pullos inter mammas posuerunt, ut calore putrefacte carnes fetore infecto accedentes propellerent, sic servando precipue castitatis sue decorem, quarum postea una Germanico Regi, altera Boario Principi collocata fuit.

Forum Julium vero Oppidum excussis tectis complura direptione igni absumptum est, ita ut ne vestigia quidem loci apparerent, captivis omnibus civibus pariter in campo sacro obtruncatis exceptis parvulis in predam abducti. Nota quod per hoc exterminium aliqui putant non Cividatum fuisse sedem Sisulphi primi Ducis et ita absumptum, cum adhuc sit in esse prout est, sed putant Julium Carnicum quod nunc vocatur vernacula lingua <u>Zuglio</u>, ubi constat multoties fuisse Oppidum Julium, cujus nostris temporibus nulla videntur extare vestigia; et ideo predictum putant fuisse quod per Cacanum totaliter absumptum fuerit, et illuc fuisse primam Julii Ducis Longobardorum sedem; et quod bene potest stare, quod post predictam desolationem, postea Forum Julium, quod nunc Cividatum vocantur, incoluerint.

Thasso, Caco, Grimoaldus, et Rodoaldus Sisulphi Ducis filii, dum alios interficerent, arreptis equis fuga sibi consuluerunt, cumque ab hostibus insequerentur celeri fuga evaserunt, preter Grimoaldum, qui assecutus a quodam hostium, dum retraheretur ad Cacani

Cacani castra, assecutoris hostis gladio intrepide arrepto illum confodit, velocissimeque ad fratres reversus est.

Thasso et Caco secundi Duces Forojulienses, a Georgio Patricio Romano in Opitergium vocati, per colloquii simulationem ab eo obtruncati sunt; tamen non inulti: a Rothano enim Rege Longobardorum Opitergium eversum est.

Grimulphus tertius Dux Sisulphi primi Ducis frater, Grimoaldo et Rodoaldo nepotibus hoc egre ferentibus, licet vix dum tunc adolescere cepissent, qui ad Arichim Beneventanum Ducem navigaverunt, postea post ejus mortem Beneventani Duces suffecti, qui Grimoaldus postea et Rex Longobardorum fuit.

Ago quartus Dux Forojuliensis, creatur mortuo Grimulpho. Hinc Agonia Domus diu florida in Oppido Foro Julio ab Agonis domo denominata.

Lupus post Agonem quintus Dux Forojuliensis Ducatum per vim sibi assumpsit invito Grimoaldo Beneventano Longobardorum Rege, qui postea a Cacanio Pannonum Rege per Grimoaldum Regem ad deditionem dicti Lupi in Forum Julium per Legatos accitus apud Flavium Vicum una cum multis Forojuliensibus victus interiit.

Varutphredus Lupi filius VI. Dux Forojuliensis a Grimoaldo Rege constitutus Ducatum usurpavit quasi per manus sibi a patre traditum, veritus tamen Grimoaldi Regis vires superstites quosdam Opitergi=
=nos

Opiterginos profugos secum ducens ad Sclavos confugit in regionem vocatam Carantanum, ubi auxiliarium manu comparata in patriam, quasi si paternum Principatum recuperaturus, erupit, et apud Nemus consedit, ibique a Forojuliensibus suis Grimoaldi Regis jussu victus fortiter tamen dimicando occubuit. ( ).

Vettaris Comes Vincentiæ VII. Dux Forojuliensis a Grimoaldo Rege constitutus Sclavos Patriam et Ducatum infestantes facile apud Rosacium superavit(2) Lautharis quidam VIII. Dux Forojuliensis Vettari successit, nihil de eo scriptum juvenis dignum memoriæ.

Lautharis quidam VIII. Dux Forojuliensis Vettaris successit, nihil de eo scriptum juvenis dignum memoriæ.

Rodoaldus IX Dux Forojuliensis suffectus est Lauthari, cujus .... per negotium Ducatu abesset.

Ansfrithus Regulus Castri Rehuniæ conspiratione multorum facta Ducatum invasit, et potitus est, non tamen diu obtinens, nam his non contentus, quantas potuit copias in Cuimpertum Regem Longobardorum armat, sub primoque conatu Veronæ captus, privatus oculis in exsilium mittitur, Ducatumque Ado Rodoardi frater Vicaria administratione gubernavit per annum et menses septem.

Pherdulphus Dux XImus Adoni fato functo

functo surrogatus, qui auctor suę necis ( ) et fere totius Forojuliensis nobilitatis interitus fuit dum provocasset Sclavos ad pugnam itaque miserrime occubuit dimicans in adversum collem Sclavis saxa ad instar dolii trum demittentibus, quibus et ipse et cęteri Nobiles omnes obruti sunt (3)

Corvulus Dux XI. Forojuliensis succesit Pherdulpho cui Luitprandus propter falsas delationes sibi de eo infixas, oculos crudeliter erui jussit exilioque perpetuo multavit.

Pemmon Dux XII Forojuliensis Corvuli nepos, ipsi extincto succesit (4) in principatuque missus et multis muneribus donatus per Luitprandum Regem facta secum purgatione de injuria patruo injuste illata, uxorem habuit nomine Rachbergam illiterati facie mulierem sępius asserens mores non formam in conjuge probari oportere ipsam multum adamavit, ex qua res spectatissimę indolis filios suscepit: Rathchim, Rathchayt, Aistulphum, quos una cum universis liberis Nobilium Pherdulphi temeritate paulo ante occubuerant educandos, disciplinaque militari instituendos diligenter curavit, hic Sclavos apud Lavarianum cęsis, pene omnibus magna felicitate superavit, in Calistum tamen Antistitem XXXIV. Aquilejensem sęviens privatus principatu a Luitprando in carcerem conjicitur.

Episcopi Julienses a prima irruptione

irruptione Longobardorum in Italiam per Forojulienses Duces hucusque instituti sunt cum dissentireant a Patriarchis Aquilejensibus inter quas Maxentius, Fidentius, et Amator ultimus Episcopi nominantur hincque Civitatenses Episcopatum Civitatensem extollunt, sed Pemonis Ducis temporibus Callistus supradictus Aquilejensis Patriarcha XXXIV. egre ferens Antistitem Aquilejensem in Cormone Castro commorari ab Helia XXVI. Patriarcha illucusque Patriarchali Sede et indignatus quod quispiam sue Diocesis Antistes se dignior haberetur Amatorem Episcopum Juliensem ex Oppido Foro Julio expulit, quo ipse cum Patriarchali Sede paulo post migravit, atque ubi domus Amatoris fuerat sibi et Successoribus egregias ędes pro loci conditione erexit quę nunc partim excisę partim excidii ruinam minantes vix consistunt ob hocque Calistus a Pemone Duce captus ad castrumque pucinum ductus, unde jussu Ducis in mare pręcipitaretur, tandem Ratchisii Ducis filii precibus donatus in vincula custodiendus conjicitur, et paulo post jussu Regis Luitprandi vinculis solutus, in pristinam dignitatem restitutus est.

Rathchisius Dux XIII Forojuliensis per Luitprandum Regem declaratus in locum Pemonis patris sui gravissimum bellum Sclavis intulit, et Carniolam eorum regionem depopulatus est; ex Regis jussu complures

complures Principes Italos (5.) adversus Regem debellantes superavit, et tandem Regnum Longobardorum facto functo Liutprando obtinuit Herprando a proceribus Regni dejecto qui postea Romanis per XX. annos pacem concessit et tandem Romam petens et Monasticam vitam suscipiens Astulpho fratri Regnum demandavit; postea ~~Regnum~~ desiderium regno affectatum monasticam ~~vitam~~ exuens reprimere conatus tandem per Gregorium Summum Pontificem reconciliatus regnum desiderio dimisit.

(anno 750) Rosimunda interim Liutprandi Regis uxor Austriis principibus oriunda fato functo viro suo hortatu Herprandi supradicti, qui Liutprando Regi consors erat Pathchisio in Fori Julii sedem successerit, quae generosos Civium mores arduis in Consiliis conspicata reliquum vitae sibi sine cura exigens administrationem omnem et jurisdictionem Oppidi Juliensis, et caeterarum villarum et jurisdicionum omnium, quibus nunc imperant, est elargita; quamobrem Senatus consulto ad posteritatis memoriam decretum est Oppidi nomine et insigni imutato, et Civitatem Austriam vel Cividatum quasi Civibus datum, nuncupari, et Austriorum insigni quo condonati sunt eam illustrare.

Civitas Austriae tametsi ab Attila primum, deinde a Theodorico Gothorum Rege, ac postmodum

a Cacano

Cacano Pannonum sive Avarum Rege eversa fuerit postremo tamen tam a Ducibus, quam Civibus et Pa=triarchis ipsam pro tempore incolentibus restituta, a=dhuc frequens Civibus perstat, quorum nobiles familias nunc superstites reperio: Brandiam, Melsiam, Por=team, Manzanam, Frumentinam, Gallam, Cla=racinam, Saloniam, Puppiam, Comitensiam, Canus=siam, Nordiam, Rubensem, Caniliam, Ronconiam, Bojanam, Fletinam, Cromensam, Maniacensem, Boccheam et alias quamplures, templa cęnobia pub=blicę privatęque ędes et fores celebritatem indicant ubi multa visuntur antiquitatum monimenta Ro=manę Colonię pręseferentia de qua nec pręter=mittendum illud est prędium quod sub ipsam Civi=tatem Hebreis in sepulturam seiunctum additum (Anno 750)
fuit quod a diluvii desolatione pręcipuum sibi sum=ma religione constituere. Ibi namque vetustis=simum omnium legitur epitaphium solemniter saxo ebraice exculptum quod duorum millium annorum seculis ante Christi ortum humatum hominem eodem loco indicat extitisse.

Siginaldus Longobardus ex Regio Grimoaldi genere V. et XXX. Patriarcha Calisto sufficitur, qui tempore Desiderii Longobardorum Regis se=dit in Civitate Austrię annis duobus et quinquagin=ta Forojulienses regionis principatum obtinente

obtinente, Rauodgaso Duce XIV.

Ruodgausus Dux XIV Forojuliensis ex cessione Rosmundę, per Desiderium Regem in Ducatum intravit, Oroppii permanens, diruto regno Longobardorum captoque Desiderio et cum filiis per Carolum Magnum Francorum et Italię Regem in Galliam transmisso dum ipse novas res adversus Carolum molliretur per Rolandum Nepotem Caroli bellicosissimum hominem excussus est ex Oroppio et tota regione Juliensi principatu spoliatus est ultimus ex Longobardis Dux

Henricus Gallus Dux Forojuliensis XV a Carolo Magno Romanorum Imperatore institutus Bajanos Forojulienses infestantes Ringo eorum Duce extincto superavit, a Tarsanisque Tarsiam urbem maritimam in Liburniam incolentibus fraudolenter occisus; quare animadversus Carolus per Naguntam Noricos atque Istriam in Forum Julium veniens, Tarsianos pęna affecit, Cadholumque Ducem Forojuliensem efecit. Cadholus Gallus Dux XVI Forojuliensis a Carolo Henrico suffectus, cui Baloricus successit.

Baloricus Gallus XVII Dux Forojuliensis Ducdellum inferioris Pannonię Tyrannum a Lodovico Caroli filio adversantem dum ad Carantanum regionem applicuisset, ut in Italiam progrederetur parva delectorum manu occurrens juxta Dravum fudit et fugavit Carmuntos et Japidis in deditionem

deditionem receptis; sed postea imputatis propter Bulgarorum direptione quadam ignavia, ma[...] tam in Concilio Aquilejensi, Ducatu pulsus est, ejus ditione in quatuor Comites divisa.

Civitatensis

Paulinus XXXVI Patriarcha Aquilejensis ex Foro Julio Oppido oriundus, virtutibus ac vitæ sanctimonia adeo illustris habitus est, ut quem viventem tanquam ecclesiasticum omnes admirabantur, defunctum post annos quindecim in eodem Oppido pro cœlite frequenti concursu in dies quoque nostros celebrent.

Paulus Diaconus Aquilejensis ex Foro Julio Oppido oriundus, Longobardis majoribus suis natus est, ex Varnefrido et Theodelinda, quem Varnefridum Arichis genuit, Arichem genuit Leupichis quidam, qui admodum puer inter reliquos Forojulienses ab Avaribus copiis Cacani in captivitatem adductus fuit eo tempore quo Cacanus Forum Julium diripuit, occiso Sisulpho Duce et palo affixa Romilda Oppidi et Patriæ, filiorum civiumque omnium proditrice, qui postea Leupichis jam adultus, sub Lupo Duce in patriam reversus, a propinquis recognitus et adjutus domum suam solo jam æquatam restauravit, et uxorem duxit, ex qua Arichim filium et avum prædicti Pauli suscepit, qui admodum carus fuit Desiderio Regi Longobardorum, posteaque adductus in Galliam a Carolo captivus, ob virtutis sue merita

menita libertate ab eodem donatus, et etiam Villa Lava=
riana q. Valdani q.m Immoni de Lavanana usque
ad quintum gradum heredum nomini, ut constat in privi=
legio subscripto manu propria ipsius Caroli, et dato XV.
Kal. Iulii anno quinto Regni sui, ex Loreja Civitate.
Postea tamen a dicto Carolo in exilium missus tam=
quam fautor libertatis Desiderii Regis, tandem Cas=
sinense Cenobium ingressus, reliquum vitae sanctis=
sime peregit. Hic fuit Longobardicae Historiae scriptor
diligentissimus (6.)

Urbanus Patriarcha XXXVIII. Aquilejensis in Civita=
te Austria sedit annis XV. ibique mortuus et sepul=
tus.

Valpertus Patriarcha XLIII. in Civitate Austria anno
sexto et vigesimo institutionis obiit.

Fridericus Patriarcha XLIIII. sedit annis tribus et
quinquaginta natione Forojuliensis, ex Rojana domo.
Hic est ille qui Italiam ab ingruentibus Barbaris libe=
ravit, imperante Carolo tertio, Aquilejeque sepultus,
in sepulchro hoc epitaphio celebrato.

Conditur interius nitido hoc Patriarcha sepulchro
Praeclarum nomen cui Fridericus erat.
Pannoniae rabiem magna virtute repressit
Et pacem afflictae contulit Italiae.
Egregius Pastor mites dum pasceret agnos
Semper utrique gregi pabula lata dedit.

Annorae

Annosæ gratus post cursum in luce quievit
Et cumulata capit præmia pro meritis.

Berengarius Forojuliensis Dux bellicis artibus clarissimis primusque in Italia sibi imperium a Transalpinis revocavit, Venetis Argenteæ pecuniæ signandæ munus contulit Petro Badoario Duce, qui a Pannonis in Forojulio victus et fugatus fuit; deinde compositis rebus cum Barbaris, eos ex Italia summovit Ecclesiæ Aquilejensi multa privilegia concessit, et postea anno nono, quo Imperii fasces suscepit moritur.

Berengarius secundus Dux Forojuliensis annis quattuor imperavit.

Leo Patriarcha XLV. sedit in Civitate Austria annis duobus et viginti, et pro libertate Ecclesiastica certans, a Rodoaldo Langobardo Forojuliensi, dum in deligendo Imperatore multæ essent controversiæ interfectus est.

Ursus Patriarcha XLVI. institutus anno tertio et quadragesimo institutionis, in Civitate Austria decessit.

Berengarius Tertius, primi Berengarii ex filia nepos, Dux Forojuliensis in Italiam imperavit, et Albertum filium Italiæ Regem nuncupavit, annisque undecim imperio potitus est; quousque ab Ottone Germaniæ Rege in Forojulio et superatus et fugatus fuit, et a regno dejectus. Cisalpina Gallia donatus a dicto Ottone ut eam inhabitaret una cum Alberto filio et cæteris Langobardis et a cæteris Italiæ partibus abstinerent con=

=tra

contra quos postea cum itenum in Forum Iulium irrupisset et quemdam Othonem Comitem Canussii in eo Oppido Tiliamento rivo hunc propinquo et nunc exciso obsedisset, cognita eorum tyrannide, Otto Imperator itenum in Italiam reversus et tandem victos Albertum Constantinopolim, Berengarium in Austriam relegavit et Berengarius in Franconia apud Nobilem Basilicam Bamburgensem ad Pangetium amnem obiit, ibique sepultus est.

Ducatus Forojuliensis a Conrado Imperatore Constantini Magni exemplo insimul et Marchionatus Istriae Poponi Patriarchae LI traditus et postea ab Henrico Caesare Gotpoldo Patriarchae LIIII confirmatus, eo tamen jure ut Imperii membrum nobilissimum esse censeretur, et postmodum etiam per Fridericum Barbarussae confirmatus Vodalrico Patriarchae LXII; et postea hic ab Ottone quarto Volcherio LXIV.

De Premanacco Gerardus Forojuliensis Patriarcha LIX, ex Premanaca Villula Civitati Austriae proxima natus ad Patriarchatum comuni voto evectus est ob incredibilem vitae sanctimoniam, at is ut erat molestissimus se indignum arbitratus aliquandiu renuit; populo tamen acrius incumbente ne Divino Numini adversari videretur onus ea potissimum ratione suscepit, ut opes quascumque pauperibus atque aedibus sacris instaurandis impenderet, qui spem omnium rei eventu superavit, eoque se compulit,

compulit, ut dum egentibus opem ferret, ipse egentissimus esset et adeo profuse elemosinas distribuit nullo de se habito consilio, ut per annos Patriarchatus sui XII necessariis etiam ad victum indigeret. Villam predictam, in qua natus erat, sepius frequentavit, non ut Vespasianus Cesar Cosaniam suam causam esse tradiens cur eum locum omnibus anteponeret quod illic primum vagisset, nil quicquam in eo mutari passus ne quid oculorum assuetudine deperiret, sed ut humilium cunabulorum parentum agnoscens, generis inopieque memor ab honorum ostentamentis, divitiarumque illecebris nullo usfar citus, caritatis Christum pauperem secutus sese proprius abdicaret.

Gregorius Montelongus vir potius militaris quam religionis Pontificius et Patriarcha LXVI. ob sua preclare militie gesta Innocentius Quartus Pontifex Maximus eidem Patriarchatum contulit, qui Civitatem Austriam ingressus multa militaria signa ex vicinis reportata in Ede sacra in trophei specimen appendit. Anno autem decimo octavo institutionis in Civitate Austria decedens juxta Paulini tumulum sepellitur, cui Philippus Dux Carinthie successit, manutenens Patriam potius sub Prefecture quam Patriarchali titulo; cujus tempore Civitas Austrie a quibusdam Patrianis Regulis Joanne Zucchuleo, et Frederico Pintiano, et aliis quibusdam oppressa est et capta ipsis introducente (1.)
per portam Dominicam Joanne Porteo Civitatensi et

et quibusdam aliis paucis eam per factionem tradentibus, optimi cujusque ac ditissimi civis bona continuo aut direpta aut publicata sunt. Ipsi autem partim capti et in vincula conjecti, partim in exilium acti sed non multo post per Ottocari Regis Boemiæ Præfectum ad hoc ipsum in Italiam missum cum valido exercitu Oppidum receptum est atque in pristinam libertatem restitutum, sumpto supplicio in Porteo et aliis, sub patrocinio prædicti Regis Otthocari quousque occupavit ipsam Civitatem, ex Otthocarius, qui per Rodulphum Imperatorem eam dimittere, sub Aquilejensis Ecclesiæ regimine astrictus fuit.

Raymundus Turrianus Patriarcha LXVII. in gratiam Civitatensium Zucchulam Spilimbergensium arcem juxta Civitatem Austriam proximus Colli Oppido supereminenti impositam solo æquavit Monasteriumque Divi Francisci in ipsa Civitate Austria magnificentissime extruxit

Benivenia, sanctitate illustris, Bojanam Domum suam et Civitatis Austriæ Oppidum miraculis illustravit, in Ecclesia Sancti Dominici condita devotissime veneratur. (8.)

Civitatenses opem tulerunt cum suis auxiliaribus copiis Utinensibus, dum opprimerentur a Riccardo

Caminensi,

Caminensi et complicibus suis.

Civitatenses faverunt Utinensibus et Glemonensibus in eorum expeditione contra quosdam Regulos, et postea insimul Manzanum Gruspergum et Butrium everterunt Ravolium et Quadruvium acceperunt; sed postmodum male habiti mulieribus lapidibus, dum concremassent Phanum Divi Johannis Cassii adjuvantibus eas Vinterio, Cuissio, et Vonlico Raffimbergio cum copiis et c.

Civitatenses faverunt Carrariis una cum Alençonio Philippo Patriarcha contra Utinenses et ceteros Nobiles; sed Utinenses tandem victores, Frottum et Cancellotum et Trapelinum Duces Carrariensis fautoris Patriarchae superavit, fugatis Civitatensibus.

Civitatenses etiam faverunt Joanne Moraviano Patriarchae contra Utinenses. Civitatenses a Lodovico Tecchio Patriarcha defecerunt ad Venetos, qui eos tutati sunt acerrime Thadeo Estensi Marchione eorum Prefecto.

Epitaphia in Civitate Austriæ inventa, in porta ^(Brazzanensi) quæ ducit ad Sanctum Dominicum.

C. Arrius. C. F.		Q. Cædius. P. F.
Moniment.		Iiv. P. Sex. Viv.
Sibi. Fieri. Jussit.	=	Tergeste. V. F.
Sex. Acilius. C. F.		Vinesia. Q. Marcusha
Heres. Fecit.		Uxor.
		Apusidia. C. F. Secunda
		Mater
		Q. L. F. Frater

Extra Ecclesiam Sancti Dominici
in Pariete

Benemerentibus Augusto. Et Ursille Qui vixit Augustus Annis IIII. Men. VII. D. XV. parentes contra votum pos.

In Ecclesia Majori, in Lapide Quadrangulari.

D. Cecil. Rufin. Eq. R. D. Cecil. Rufi Prefec. Fil. Qui. Vix. Ann. X. Die XXIIII. Aurelia Gemellina Mater. Filio. Incomparab. Posuit.

In porta interiori in vico Sancti Petri.

T. Vettidius.
T. F. Scapt.
Valens.
IIII. VIV. Iuridi
Quinq. Pont.
Sibi Et. T. Vettidio.
Potenti. Filio
Equo. Publico.
Annor. XX. M. IIII D. V.
T. F. I.

In dicta ?

In dicta Ecclesia, in alio lapide semifracto.

D. M.
Reridię Marcellę Feminę
Castitatis. Et Verecundię
Cultu Singulari
Sextius. Heros.
Ob. Insighem. Ejus. Erga.

T. M. I. V. M.

Me longe effigit venustiorem
Narciso vel Apolline comato
Parcarum Lachesis soror severa
In quinterium dedit sepulchro
Cur non flosculus exeam requiris
Cum tantum puerum puer decorus.
Hęc tellus nimis arida estriator
Nostri facta perustione amoris,
Nam terram quoque capimus decore
Quod si lacrymulis suis madescet
Forsan flos novus ibo e sepulcro.

In dicta Ecclesia in alio lapide

Tit. Cl. Asianus.
IIIIII. Vir. Aquil.
Tutilię. Melamę.

In eadem Ecclesia in Archa lapidea.

Liberis. Posterisq.
eorum.

Ciridatum alias Civitas Austriæ, prius castrum Julium, et Forum Julii olim appellatus, nunc satis populosa et nobilium familiarum repleta Civitas, quam Natiso prærupto et confragoso alveo interserat, superemnenti ponte Italicorum pulcherrimo, varia est autem opinio unde olim Forum Julii appellatum sit; nam alii ut Cicero in vaticinium meminit a Gente Julia Forum Julii nomen accepit, et bene, sed a quo Julio nomen accepit non satis clare apparet. Paulus enim Diaconus in libro de Historia Longobardorum Libro secundo Cap. XIV. ita refert Venetiæ Aquileja Civitas exstitit caput, pro qua nunc Forum Julii habetur, Forum Julii ita dictum, quod Julius Cæsar negotiationis ~~causa~~ forum ibi statuerat. Titus Livius vero in Libro IX de bello Macedonico ne Quartæ Decadis a car. 263, 267, et 268, dum refert Gallos Transalpinos in Venetiam transgressos et haud procul inde ubi nunc Aquileja est locum Oppidi condendi cepisse, et propterea Lucium Julium Prætorem maturare jussum, ut Gallos hujusmodi Oppidum in Romanorum agro nullus Romani magistratus, qui ei Provinciæ preesset, permissu edificantes prohiberet, quod oppidum edificari incæptum per Gallos, cum nec aliud conjecturari possit nullibi apparentibus nedum minimis vestigiis in Aquilejensi patria, nisi eo in loco, ubi nunc Ciridatum situm est, propterea

propterea puto ab hoc L. Julio Pretore Gallorum exturbatore Castrum Julium primo appellatum, cum ibi castra sua posuerint, exturbatis, et expulsis Gallis, et forsasse postea a Julio Cesare Forum appellatum, quod prius castrum nomen habuerit, a quo et tota Aquilejensis patria Forojuliensis postea appellata, sicque puto quod nunc Cividatum appellatur, prius a Gallis condi ceptum, et nondum completum a predicto L. Julio peractum, ab ipso nomen accepisse, assidueque exinde per Romanos habitatum et gubernatum sub Prefecti titulo, ut patet ex antiquissimis compluribus Romanorum monumentis in diversis Civitatis partibus positis, et precipue in Ecclesia majori nostris temporibus legitur in lapide quadrangulari vetustissimo.

Q. Cecil. Rufin. Eqq. R. Q. Cecil.
Rufi. Prefect. Fil. Qui. Vix. Ann.
X. Die XXIIII. Aurelia Gemellina Mater.
Filio Incomparab. Posuit.

M.CCC.LIII. XL. Augusti Civitas Austriaca condonata fuit pulcherrimo privilegio per Carolum Augustum, Romanorum et Boemorum regem, qui residens in Praga Boemie metropoli, concessit Civitati Austrie, ut posset in ea generale studium artium,

artium, Jur. Can. et Civil. ad perpetuum habere, cujus privilegii exemplum vidi penes egregium virum & Antonium Bellonum Notarium Utinensem.

Alboinus Longobardorum Rex intravit in Foro Julio, et sic in Italia de mense aprilis, indictione prima, primo die post sanctum Pascha, cujus festivitas celebrabatur eo anno in ipsis Kl. aprilis anno ab Incarnatione Dni DLXXVIII. Scripsit Palitna Italicum nomen ipsa tempestate deleri potuisse nisi afflictis rebus Sanctissime nostri occurrissent, in quibus Paulus Aquilejensis Patriarcha certe habendus est; qui Alboinum prędictum Italiam ingressum, et sic in Forum Julium longe mitiorem. Quam illius natura pateretur nisi Forojuliensibus, et Aquilejensibus reddidit.

Duces Forojulienses hi sunt.

Sisulphus vel Gisulphus	1
Tasso et Cacho fratres	2
Grimulphus	3
Ago vel Aygo	4
Lupus	5
Varnefridus	6

		6.
	Vectarius	7.
	Lautharis	8.
	Rodoaldus	9.
	Aistulfus	10
	Aldo	11
	Cherdulfus	12.
	Corvulus	13
	Pemon	14
	Ratchisius	15
	Rosimunda	16
	Ruodogausus	17.
	Henricus Gallus	18.
	Chadolus	19
	Baldricus	20
Forojul.	Berengarius Primus	21.
	Berengarius Secundus	22
	Berengarius Tertius	23.

Popo Patriarcha habuit Ducatum, et Successores sui usquequo Veneti, vi cessionis confederationis Lodovico Tecchio Patriarchae, et Veneti quidem omne dominium Patriarcharum jure belli adepti sunt; et postea cum Forojulien=
=sibus

Forojuliensibus foedus inierunt, vel ut alii, confede-
rationem fecerunt.

Notae

(1) De Oppido hoc vide Livium libro nono, Deca-
de 4, duobus in locis. Plinium quoque lege, libro
3 Cap. XIX. Paulum Diaconum libro 4 Cap.
XII, et libro quinto Cap. IX. et Cap. deci-
mo sexto, et libro secundo Cap. X.

(2.) Hoc quidem factum fuit apud Forojulanum Ca-
strum, et versus pagum Bressane, et nunc dicitur
longe a ponte Natisonis, ut aperte videtur in histo-
ria Pauli Diaconi Libro V°. Cap. XXIII, et non apud
Rosacium.

(3.) Paulus Diaconus in historia Longobardorum Libro
VI.

(4) De his Paulus Diaconus Lib. VI.

(5.) Hucusque Paulus Diaconus memoriam facit.

(6.) Hec eadem ipse Paulus in sua de Longobardis
historia diligenter scribit.

(7.) Hoc factum fuit propter tyrannidem quam contra
Nobilitatem Patrie et Civitatis exercebat ipse Patriar-
cha.

Patriarcha, cujus omnis crudelitas, et digna Crimium facinora memorantur compluribus scripturis tam in Civitate quam aliis in Patriæ locis et Oppidis conservatis.

(8) Moritur 1295, ætate Raymundi Turriani &c.

Julium Castrum, modo Civitas Austriæ, quam Nati=
so præruptò et confragoso alveo intersecat, supereminente
ponte Italicorum pulcherrimo, ut Cicero in Vaticinium
meminit, a Gente Julia Fori Julii nomen accepit (1).

Merlinus ait, Aquilejam ad priscam aliquando magnitudinem
morandi Charintii Duci sua cura instauratam iri, licet
Sanctus Sensus Aquilejensis Episcopus Sicinensis prædixerit
excidium Aquilejæ nullo ævo instaurandæ, quod Seni vaticinium
videmus nemini autem futurum expectabimus.

Sinulphus primus Dux Forojuliensis, ab Albuino Longobardorum
Rege patruo suo constitutus, superatus et mortuus una cum
Forojuliensibus compluribus apud Goritiam a Cacano Pannonum
Rege; Romilda Sinulphi conjux propter explendum libidinis
suæ fervorem, et filios filiasque et Oppidum Fori Julii
tradidit hosti Cacano, spe futurarum nuptiarum.

Cacanus habito Forojulio pacta observavit Romil-